DVO.

PANEGYRICI

CROMWELLO

Scripti Londini.

M. DC. LIV.

Harvard College Library
In memory of
Lionel de Jersey Harrard
Class of 1915
October 31, 1932

PANEGYRICVS CROMWELLI.

CVm ratione, judiciiſque imperandi Regna inter ſe Reſpublicæque diſſentiant, de modo tamen tractandi ſubditos omninò conſentiunt. Politici Præceptores docent merita quoque timeri. Et Tacitus ejus rei cauſam affert quòd quæ pars à Principibus remunerari congruenter nequit, ea in modum meriti præmii creditorum vertitur. Beneficia eouſque læta ſunt, dum videntur exſolvi poſſe: ubi multum antevenere, pro gratiâ odium redditur. Principes ad diſſimulandum poteſtatis defectum, maculam gratitudinis negligunt. Senatus ad evitandum Obedientiæ metum tyrannidis præcipitium non curat. Tiberius metuebat ex optimis periculum ſibi. Athenæ Oſtraciſmum Iuſtum putarunt. Qui famam minuere voluerunt, ut vitam extenderent, naturæ dotes compreſſerunt. Sed illi in quibus ſplendor virtutum, vilis timoris reſpectum ſuperavit; tanquam Arbores quæ fructuum pondere obruuntur, perierunt. Ab his periculis liberat Divina providentia, quum vel in præmium virtutum, quæ in

quibuſdam inſunt, moralium; vel in ſupplicium, quæ ab aliis commiſſa ſunt, Delictorum, juſto ac occulto judicio ſceptra adimit diſtribuitque. Eventus, in quibus fortuna hujuſmodi ſucceſſus vagata partite repræſentavit, viſa eſt quodammodo eos in Angliæ Theatrum conjunctim induxiſſe, videmus quippe non ſolum coronam unam detractam, ſed caput quoque Regium avulſum, Conſtitutam Rempublicam, Parlamentum reformatum, quòd abuſum patientiâ, quâ tolerabatur, diſſolutum eſt ab iis, quibus tota ejus firmitas nitebatur. Quod apparuit, ut ante flagitiis; ita nunc legibus laborari. Nec obſtitere crebræ admonitiones, nec quod omninò futurum erat, non toleraturos milites profani Principis Imperium. Quod ſi modos ac vias harum mirabilium transformationum inſpiciamus, ſpectato tempore, perpenſis rebus, conſideratis perſonis, occurret animo Vir ille incomparabilis, qui anteactis ſeculis Ideam non invenit, ac futuris deinceps parem non habebit, quoniam eſt Alexander ſobrius, Cæſar moderatus, Pompejus felix, natus in domo nobili, quod ejus origo obſcura eſſe non poterat. Non in magnis opibus, quòd omnem fortuna liberalitatem in virtutibus collocavit, quarum ergà eum prodiga fuit. Hic eſt ille inſignis, fortis, pius, Dominus OLIVERVS CROMWELL, è nobiliſſimâ Cromwellorum familiâ, è ſecundo filio genitus, ut illius ſplendor magis emineret, opum ſuffragiis deſtitutus. Primos ætatis ſuæ annos in ſtudiis aliiſque honeſtis exercitiis conſumſit, eâ induſtriâ ac diligentiâ, ut dici de illo poſſet, quod de Catone, In hoc viro tanta vis animi ingeniique fuit, ut quocunque loco natus eſſet, fortunam ſibi ipſi facturus videretur. Poſtea cum vidiſſet patriam vexatam & afflictam, publicam cauſam ſuſcepit, quæ ſemper honeſtior eſſe ſolet. In hâc tuendâ fortis & conſtans fuit, ſupremos & ultimos ho-

honores continuò non adiit, ut gradatim aſcendens documentum daret, quâ ratione parere deberent ii, quibus poſtea Imperaturus erat. Per inferiores tranſitu facto, ad munus Generali proximum gradatim pervenit, cum ſingulari prærogativâ experientiæ, per omnes militares gradus acquiſitæ, tam ſe ad ſingulos accommodabat, ut ad eum tantum quem exercebat natus videretur. Equitatum & peditatum, quamvis uſu inter ſe ac ratione diverſos æquè diſponebat, utroque tanta & tam præclara geſſit, ut dubium fecerit, uter majoris in acie momenti ſit, cum conſtaret utrumque ad eos quos bellando felices conſecutus exitus eſt, tanto duce indiguiſſe. Quoſcunque militiæ honores geſſit, in iis omnibus nimis religioſe ſuperioribus ſuis obedivit, patrando maxima rerum geſtarum gloriam Imperantibus tribuebat, eâ quidem modeſtiâ, ut ſibi eos maximè devinciret, ac omnibus admirationem afferret, quoniam multò major habetur in milite victoria de ambitione nominis, quàm de hoſte triumphare. Comes Fairfax ob has & alias virtutes tanti eum faciebat, ut ne maximarum quidem rerum cognitionem habere vellet, quod eam integram Cromwello reſervaret. Cromwellus autem eorum etiam quæ ſolus agebat, & de quibus rationem Parlamento reddebat, Fairfacem authorem faciebat. Contigit Caroli I. cædes, cumque eam impedire non poſſet, vel ob violatam fidem, vel ob utilitatem Patriæ, quæ fortaſſis aliter tuta & ſecura videri non poterat, vel ob fatale decretum, quod ſæpè trahit ac torquet ea, quibus utitur, in[illegible]enta, debitam pietatem præ ſe tulit, quæ rarò à robu[illegible]nimis præſtari ſolet, prius lavere lachrymæ Cromwelli conſcientiam, quam cultrum Carnificis ſanguis tinxiſſet; qui patriæ fidus extitit, is perfidus in Regem dici non poteſt; nec crudelis appellari, qui tàm ſe pium exhibuit. Ecquis Cæſaris ad con-

ſpectum Pompeji capitis lachrymas commendabit? Ecquis Davidis in Saulis & Iſboſethi cædibus dolores & luctus memoriam non renovabit? Expeditionem Hybernicam ſupremo cum Imperio Cromwello obtulit Parlamentum. Ingloria ei eſt viſa illa, quæ generalis ſui authoritati detrahebat. Certiorem eum fecit, confirmans admiſſurum non eſſe, etſi maximo ſupplicio propoſito, nedum ampliſſimo oblato præmio. Ecquis non magis incitaretur illo officii genere, quàm dignitate? Ecquis non pluris faceret locum in quo erat, quòd talem ſubditum habebat, quàm quòd tali honore fruebatur. Novit Fairfax quantò ſe eſſet præſtantior, hoc ſpecimine & exemplo is, quem ſciebat neutiquam ſibi inferiorem eſſe. Ac eodem tempore officio certavit, & bene de patriâ meritum, ſed oſtendit repudiando munus, & ex integro Cromwello aſſignando. Cumque diutiùs ſervire non poſſet, voluit eo obſequio præſtito ſe recipere ac recedere; Politicen minimè ſectatus Auguſti qui malo poſt ſe ſucceſſore relicto, comparatione deterrimâ gloriam ſibi quæſivit: ſed Galbæ bonitatem candoremque imitatus, qui laudabilem ſucceſſorem Piſonem deſignavit. Laudari ſemper meruit, qui Trajanum adoptavit. Qui Cromwellum ſibi antepoſuit, ejus nunquam memoria abolebitur. Vix imperare arbitrio ſuo cœperat cum omnes, quas Fortuna ad ſummum humanæ felicitatis culmen evexerat gloriæ, in rapidiſſimum effuſæ curſum per omnes Angliæ limites impetu quodam libero evagari occœperat. Bellicus illius ardor non poterat paucioribus quàm trium, Oceani, Britannici, Hybernici, marium ſpatiis terminari. Si continua & continens Tellus foret, videtur alia littora, alia maria, ſed non alios limites in Vniverſo invenire, qui alios in Angliâ terminos non invenit. Non citius Aſiam Alexander, Scipio Africam, Europam Cæſar victores peragrarunt; quàm Cromwellus

wellus Hyberniam & Scotiam armis trophæiſque percurrit, Angliâ eodem Tempore tranquillatâ. Tardius fulmen intortum ferit, quàm Cromwellus facinora ſua patrabat: nunc itineribus inuſitatis, nunc temerariis auſis; nunc ſtratagematibus inopinatis hoſtem opprimebat. Admiratione potiùs quàm vi ſuperabat: prius ſentiebant vulnus, quàm animadverterent quâ parte vulnerabantur. Gladium experiebantur, brachium non videbant. Diſtantia, incommoda, impedimenta hoſtes incautos reddebant: ſed vigilantia, induſtria & violentia eodem momento eos obruebant. Angliâ pacatâ, domitâ Hiberniâ, ſubactâ Scotiâ, victor Londinum eſt reverſus. Referre circumſtantias, eventus, cauſas, caſus, vias, rationes horum eventuum, nec tempus patitur, nec ſtylus; & multò minus metus, ne mihi fides habenda ſit, permittit. Non commemoratis tantùm virtutibus Cromwellus labores, quibus ſe objecit, ſuperavit: ſed illâ etiam, que minus uſitata inter milites, pietate. Eâ non modò Arces expugnavit, non modò prælia confecit, non modò oppida cepit, ſed corda etiam ſemper devicit. Qui ab eo victi erant, non in captivitatem ducebat: invitabat libertate: non ſpoliabat quos ſuperaverat; ſed poſſeſſa ab iis bona confirmabat. Eodem quo obſtinati ei ſe opponebant tempore, quando deſperati portas aperiebant, tanquam hoſpes, non tanquam Dominus intrabat. Multi fiduciâ plus compararunt, quàm pertinaciâ, qua ſe tueri ſperabant. Neceſſitas à pleriſque recognita miſeriis eorundem remedium attulit. Qui tam ſe in acie pium gerebat, mirum non eſt in ſenatu etiam pium fuiſſe. Qui in ipſa belli armorumque licentiâ modum ſervabat, domi ſane in Pace moderatus eſſe debuit: Qui tam erat temperans in victoriis, qui non foret in quiete modeſtus? Voluit Parlamentum gratum ſe ei exhibere, & laudibus & honoribus, & præ-

præmiis. Aliis se oppoſuit, aliis se ſubduxit, omnia rejecit. * Docebat gratias laudeſque Deo tantùm debitas eſſe, qui Dominus Exercituum erat: ſibi id ſorte tantùm, ut exiguum quoddam ac tenue occultorum ejus judiciorum inſtrumentum eſſet. Numa quondam minora egit, nec majorem præ ſe ferre potuit pietatem.

* *Deum Solum cole, qui mentem dat, qui animum confirmat, qui opes elargitur, qui hoſtium impetum retundit, qui victoriam omnibus & magnis viris gloriam dat. Lactant. de Inſt. l. 5. c. 15.*

Inſtitit Reſpublica ut bona & reditus admitteret, quando ex ſtipendiis vix ſibi reliquum ad victum reſervabat. Initia bellorum moderata ſane ac præciſa erant. Iam tam, cùm militem vulneratum vidiſſet, nec haberet aliud quo ſubveniret, pallium ei ſuum donavit, ut liberalitas ſine velo aperta maneret. Minus Alexander donans civitates largiendo proceſſit; cum ei non tam pauca ac Cromwello manerent. Creverunt cum honoribus ſtipendia, ſed non idcircò contractus eſt animus in iis quæ ſe dederunt occaſionibus, ſi tempora & perſonæ conferantur, ac non Arithmeticè ſed Geometricè æſtimentur. Certabat Reſpublica gratam ſe oſtendere; Cromwellus generoſum; niſi forte fuit alios exemplum optaſſe, ut tam honeſto prætextu, cupiditatem ſuam velarent: Cromwellum autem tam integrâ actione voluiſſe, ne Reſpublica quam ab hoſtibus liberaverat, adminiſtrantibus præda fieret. Geſta ſummorum virorum, etiam minima, vel maximè vigilantium cenſuræ quædam ſunt. Conſtat olim Romæ plura mutum Catonis aſpectum quàm elegantes Hortenſii Orationes correxiſſe. Verùm etſi contentio illa, vel hâc vel aliâ ratione, quocunque animo ea fieret, culpa foret, præmia, quæ Cromwellus repudiare non poterat, quomodo iis utendum eſſet edocuit. Admiſit: poſtulans à Parlamento Theſaurarium ſibi deſignaret, is fuit Iohannes Thurloe, digniſſimus Conſilii Secretarius: ut è vicino miniſtri comperirent, quâ ratione quod à Republica haberent expenſuri eſſent: ſive ne ejus

everſionem appeterent, ſive ut quod ex adminiſtratione colligebant, id ei cum fœnore redderent. Reditus rei familiaris in Xenodochia ſauciorum, in ſinus viduarum impendebat: quo quidam vires ad ſerviendum Reipublicæ repararent, aliæ lachrymas ob eos, qui jam olim ſervierant profuſas detergerent. Neceſſitates, quæ publicæ non erant privatis opibus ſublevabat. Vix ille noverat juſtam neceſſitatem, cum miſer experiebatur remedium. Multos nobiles, qui causâ Religionis, vel aliâ honeſtâ & idoneâ patiebantur, Tribunum vel Centurionem, cui non ſufficiebat ſtipendium, & qui patrimonio juvari non poterat, quod honeſtè ſplendideque locaret; milites qui rebus clare in militiâ geſtis, ab aliis ſe ſegregarunt, ac defectu veſtium inter alios non eminebant, clarè juvabat. Incipiens jam tum prudenter virtutes proprias tegere, & alienas miſerias occultare, quas maximum vitiorum malum cogit pudore obſitas lucem metuere: & coram tyrannide ac ſuſpicione erubeſcere. Tantum efficere non potuit cautâ induſtriâ ut militiæ reſiſteret. Creſcebat invidia & obtrectatio miniſtrorum. Timebant moderatum ex ratione Imperium. Sciebant gladium Symbolum eſſe juſtitiæ: nec leges ab eâ manu volebant accipere, in quâ ille inflecti non poterat. Facilius eſt non delinquere, quàm ſe pœnâ eximere: quia Deo miniſtri non deſunt, nec ei in multum temporis patientia ſuppetit. Cupiditas apud externos malè audiebat. Multis è partibus nuntiabant venale ſecretum ac ſuffragium eſſe, ac in eodem gradu utilitatem & firmitatem Reipublicæ conſiſtere. Nec mirum graſſari impotentiam, ubi imperium ſine juriſdictione exercebatur, quoniam adminiſtrationis tempus exierat, communi populorum querelâ. Injuſtitia & injuria proximis pares erant. Factiones exiſtebant, vim, adulteria, ſtupra, emptiones invitis Dominis, &

magno detrimento Reipublicæ. Quidam prætextu Religionis toties damnatæ, obnoxias ſibi per hypocriſin conſcientias habere volebant, quæ ſecundum Scripturam Sacram opprimi non debent: Nonnulli nomine neceſſitatum Reipublicæ impoſitione graviſſimorum vectigalium communium vexari populos & obrui volebant: cumque bella voluntaria forent, tributa in neceſſitatem vertebantur. Reverentia Generalis ſatis non erat: nec ratio ipſa, nec perſuaſio ejus adnexa conſilio: nec ſufficiebat verecundia authoritati congruens ſuæ. Dum potuit, Amneſtiæ Autor fuit, quo bis vicit eos quos continebat gladio beneficioque, hoc diſcrimine, quòd ab illo liberari ſe aliquando poſſe ſperabant: huic ſe æternum addictos fore intelligebant: non ſe ſolùm præſentes ac vivos, ſed filios poſteroſque benignitatis hæredes. Preſbyterianorum iram, & intemperantiam coërcuit, qui animo hypocriſi involuto nunc juramentis, nunc animadverſionibus importunis Miniſtros Publicos omneſque vexabant. Populos ſæpè tributis levavit, quæ iis nomine Claſſium ac Copiarum imponebantur, & quorum tantùm termini exſpectabantur, qui quotidie adeſſe ſimulabantur, niſi manus Cromwelli eos impediſſet. Dum in publicâ utilitate verſabatur, privatam quietem negligebat. Harum virtutum ſplendor mentes miniſtrorum obſcurabat, ac eorum animos invidiâ torquebat. Non conſulebat ſibi Cromwellus, ut Reipublicæ attenderet: non conſulebant Reipublicæ miniſtri, ut Cromwello nocerent. Cauſam quam ad illum magnificiendum habebant, in delictum ad eum lædendum vertebant. Volebat Cromwellus eodem actu, Parlamenti mutato tamen tribunali, adminiſtrationem corrigere. Putabant quidam ex miniſtris obſtaculum illi eſſe magnanimo monere expirâſſe item munus militare, perinde ac bellicus lituus & ſceptrum onera non eſſent,

quæ

quæ quivis prudens expendens rejiceret, & Cromwelli illud pondus intolerabile non foret. Offensus removit se paulùm ab administratione. Sed à studio in Remp. non recessit: Cumque remedio opus esse vidisset, operam suam omnem posuit, ut id quàm minimo damno foret. Successus tàm voto benè respondit; ut vel conspectus credi non posset; ac multò minus ab alio judicio præstari. Vltimo Aprilis M DC LIII. suscepit patrocinium querelarum militarium quas militaris Tribunus Harrison exposuit. Non tunc primùm accidit, ut ii Leges Senatui darent. Forte nunquam æquo jure. Confirmavit Cromwellus se instar medici adesse, qui prius mollia adhibet medicamenta, quàm dura inferat: fomenta præcedere cauteria, si vellent pace dissolvi & abire, pace recederent: sin minus, vim adhibendam esse. Non tulit ejus moderatio præterire libellum eorum quæ publicè deliquerant quidam ministrorum, unde origo errorum omnium extiterat. Fores clausit, quæ toties Ambitioni & adulationi & mendacio apertæ fuerant. Eo in statu Civitas mansit, in quo Roma esse solebat, cum Iani templum claudebatur. Extulit secum sceptrum Parlamentariæ potestatis symbolum, quòd malè eo usi fuissent. Portarunt milites ut à quibus illud constitutum erat, defenderetur. Qui culpam cum potest, non vitat, velo obducto, ei indulget. Non urbs sola acta probavit, quod causæ idoneum est testimonium; sed tria Regna comprobarunt, tot ea secuti sunt. Ea orbis mirabitur, ac de iis venturi ob magnitudinem ambigent. Non fuit astus, non fraus non ambitio quæ tot animos conciliavit. effectus sanè injustitiæ alienæ fuit: fuit spes æquitatis, non poterat de honestate operis dubitare, qui nomen Autoris audiebat. Exercitus Classis eandem mentem & sensum amplexa. Alii Principes timere sibi videntur, ne subditi quoque sui ad Crom-

wellum transeant. * Concilium instituit, collegitque ex iis, qui majorem virtutis opinionem habebant. In Electis qui Experientiâ probati sunt, & dotibus, quæ Consiliarios decent, ornantur, nulla sic virtus, ac bonitas enitescit.

Quæ habenda ratio imperandi haud loquar. Sed nemo dubitat quin sit, quod maximè congruat; non audent omnes dicere, quod sciunt cupere: à modestiâ Generalis sibi metuunt; sperantque ne offendat eos, qui eum tantoperè diligunt. Generalis ne illos lædat, animum suum occultare pergit, ne iis, qui tanto cum desiderio expetunt, negare videatur. Pugnant amore & officio; illi, ut laborem jubendi suscipiat; ille, ne videatur ambitio vel studium eos defendere. Intra Generalis animum pugnat gratitudo cum modestiâ. Sperant omnes, ut communis ejus administrationis necessitas prævaleat; & pax tuta vigeat, Religio liberetur, seculum aureum restituatur.

* *Adversum patrum factiones multa populus paravit tuenda libertati, & firmanda concordia; vocati qui decemviri, & accita quæ usquam egregia. Annal. 3.*

FINIS.

PANEGYRICVS

Clariſſimo Anglorum Imperatori

OLIVERO CROMWELLO

SCRIPTVS.

CVm ſæpè mecum diuque repeterem, quæ præclara ex aſſiduâ Lectione veterum Heroïci temporis virorum memoria exempla collegeram, occurrebat animo ſpecies quædam eximia ac præſtans ex omnium conflata virtutibus, quam inſtar Ideæ mihi proponebam, ut in quos hujuſce ætatis viros inſignes inciderem, eorum ad illam imagines conformarem. Et verò ita rem de induſtriâ componente fortunâ, maximam & nobiliſſimam Europæ partem peragravi, in quâ peregrinatione, & inveni caſu, & ſtudio reperi multos omni genere laudum præſtantes, quos uti quiſque excellebat, ad illam ſpeciem, quæ menti inſederat, referebam, & quantum ad eam ſinguli accederent ab eave recederent obſervabam: ac ex ſimilitudine in ſuo quemque gradu conſtituebam. Ac fuerunt, qui collatis dotibus eam ex parte referrent, quidam & pene repræſentarent: qui tamen omninò exprimeret, fateor fuiſſe neminem. Et quidem optandum id magis quam ſperandum videbatur. Ecquis enim eſſet, qui omnia undique Togæ militiæque ornamenta colligeret, ut Ideam iis conſtantem poſſet æquare? Verum effecit adventus in Britanniam meus ne deſperarem: quæ cum ab alio (opinio-

ne veterum) divisa orbe orbem alium efficiat, exhibuit quod ille præstare non potuit. Expectatio jam erat ex fama hominis magnâ & præclarâ, sed quæ desiderium magis accenderet, quàm spem afferret inveniendi in eo quod voto finxissem. Imò verebar ne, quod solet in majus res componere fama, commotam expectationem præsens ejus viri, & si præclara virtus sustineret. Is verò tu ipse, quem intueor, CROMWELL Imperator eras, Patriæ decus, Reipublicæ præsidium, Angliæ ornamentum. In te ut incidi, & dotes tuas introspexi & cum iis quas in imaginem illam mentis conjeceram, exacte contuli, mihi persuasi, aut illam æquasse Te, aut certè magis ad eam prope quàm quenquam alium accessisse. Quod cum jam antea ego perpensis diligenter rebus à te hactenus militiæ domique præclare gestis apud me statuissem, nunc planè confirmavi, cum vidi à Te repente sine rumore, sine ambitione, sine dissidio orbem conversum esse Reipublicæ! Quâ in re, quæ certè difficillima est, egregium judicii, prudentiæ, magnanimitatis, integritatis specimen præbuisti. Nam quod majus judicium, quàm prævenire tot Sapientium & Politicorum hominum mentes, ne quid aut ante animadverterent aut animadversum præstarent? Quid prudentius, quàm rem tantam ex ante comparatam silentio habere ac ex tempore credere, ut nata non meditata videretur: ac ipsâ celeritate animos oppimere? Quæ vis animi major, quàm in ipso Senatu coram Senatores ipsos arguere, ac eos dignitate exuere & Concilium totum dissolvere? Quid incorruptius, quàm privatis rationibus propositis, sublatam administrationem patriæ permittere & populo reddere; cum præsertim patratâ re constaret, posse ad se traducere summam Reipublicæ? Nonne hoc est in arce quadam mentis consistere, ambitioni moderari, omnesque intemperantis animi

motus

motus rationi ſubjicere, aç, quod vel difficilimum ſapientiſſimo cuique, ſibi imperare? Hunc Gloriæ Tuæ cumulum ò Cromwell addidiſti, qui non modo trophæa de hoſtibus erecta ſuperaſti, verùm etiam ſplendore ſuo oppreſſiſti & obſcuraſti. Hactenus bello viceras alios, nunc Te ipſum viciſti. Aliarum victoriarum comites habuiſti multos, hujus ſocium præter te neminem: nec enim Cromwellem niſi Cromwell vinceret. Depuleras ante ſervitutem alienam: nunc à timore illius, quæ à te eſſe poterat liberaſti. Antea patriæ aſſertor, nunc Pater. Imò & quod nemini ante te contigit, Patriæ & Filius: nam eam ita liberaſti, ut ei te ſubjiceres, vindicaſti armis, ſed arma ſubdidiſti. Proſtraſti hoſtem ſed victor te ad nutum Patriæ abjeciſti. Cum omnia ſupercilio temperares tuo, Patriæ nutui obtemperaſti. Quod egeras in hoſtes inimicè, amicè in Amicos egiſti. Non quod ii contra patriam quicquam molirentur, ſed ne à conſtituto cum patriâ recederent. Illi Ariſtocratiæ ſtudere: Tu Democratiæ: Illi optimates agere: Tu populares eligere. Illi contrahere ad ſe Rempublicam. Tu ad populum extendere. Illi arbitrio ſuo adminiſtrare publica: Tu communi ſenſu cuncta gerere. Non quod illi deliquiſſent, ſed ne delicti ſuſpicionem crearent. Conſuluiſti eorum fidei honorem conſervaſti. Nec iis feciſti injuriam, invidiæ materiam ſuſtuliſti. Nec tam eorum conſilia improbaſti, quàm in melius referre voluiſti. Noras quippe liberum Angliæ gentis ingenium, non laturæ umbram ſervitii: inſtar Romanæ, quæ ne in vindice quidem ſuo inanem ſonitum nominis redolentis tyrannidem tulit. Paſſus eſt Senatus citra noxam, quod Collatinus præter injuriam. Detur hoc Libertati, ut in ſe tuendâ modum excedat. Nimis in libertate vitioſum non eſt. Non magis ſuggillandus eſt Cromwell quòd Senatum ſuſtulerit, quàm Brutus quòd Conſulem

Amicum

Amicum & Socium Collatinum ejecerit. Conſtitueras ante Remp. Cromwell, qui Libertati Author extiteras. Tuum erat conſtitutam ſuſtinere: illa te cuſtodem fidum ac induſtrium ſui eſſe voluerat: in id ſane arma tradiderat: in ſpeculâ poſitus vigilare debueras. Senſiſti populum commoveri, datam ſibi fidem exigere, optare ne quid niſi ex conſtituto fieret, vidiſti exercitus qui ſe fidei publicæ prædes quodammodo & obſides fecerant, indignari: advolaſti. Ex armis alas effeciſti, ut populi ſtudiis obtemperares. Non tuo aut arbitrio adfuiſti, aut judicio tranſegiſti, aut ſenſu mutaſti quicquam; Omnia ex voluntate populi, quæ publici Imperii fons & origo eſt, ſuſcepiſti, effeciſti: nec tam illi, quam rationi ac fidei in eo imperanti obtemperaſti. Iuris Communis defenſor extitiſti, nec niſi ad illud tuendum arma ſumeres, innoxia, pacata, pura, fidei pignora, addicta Reipublicæ, patriæ mancipata. Quod ſi ſenatum diſſolviſti, Cenſerio uſus es munere. Romanum Magiſtratum Londinum invexiſti. Movebat loco Cenſor Senatores Romæ. Tu Cenſoris inſtar Londini, Senatores loco moviſti, Senatum retinuiſti, communem dignitatem ſervaſti, nec in perſonis læſiſti muneris graduſve majeſtatem. Privatum quod erat caducum, ſublatum eſt, commune quod perannet, remotum. Macte ô Cromwell Iudicio, macte prudentia, macte fide, macte integritate. Liberatâ ante Republicâ clarus, conſtitutâ inclytus, ſed ea nunc mutatâ glorioſus. Equidem hoc ego pulcherrimum à Te facinus profectum cum vidiſſem, & lineamenta in Te jam antea præclaræ illius Ideæ pleraque ac perſpicua deprehendiſſem, judicavi Eum eſſe Te, quem tamdiu optaſſem, tanto ſtudio quæſiſſem: ac ſubitò gaudio ſum perfuſus, quod Te invento, ingentis voti compos extiti. Vidi enim, vidi imaginem omnis in Te Politicæ, publicæque virtutis eſſe perfectam: quam cum ad con-

conceptam animo ſpeciem retuliſſem, perſpexi Ei tam eſſe Tuam congruentem, ut nihil omninò ad indiſcretam ſimilitudinem deeſſet. Imò cum paullùm ab eâ, quam apud me formaveram, ad Tuam, mentis aciem direxiſſem, & intentiùs deſcriptam ad locum alterius tranſtuliſſem, ſenſi nihil intereſſe, utra in eo loco conſiſteret; quin propè fuit; ut grato Errore ambigerem, utra utrius imago eſſet, cum utraque Idea eſſe potuiſſet. Age verò, quæ in illâ, quam mente finxeram formâ dotes, virtuteſque ineſſent, expendamus; atque ad illas ornamenta & facinora Tua referamus, & iis collatis, an Tua Ideæ imago reſpondeat, exploremus. Primùm: (nam id quoque optandum eſt) Nobilitatem cum animo conceperam, puram eam, honeſtam, ſplendidam; non delicatam, non fumoſam, apud me fingebam: Removebam ab eâ ſordes, quales in Mario, Iphicrate, Philopœmene, ineſſe compereram. Secernebam à deliciis, à faſtu, à fumo; cujuſmodi fuiſſe Alcibiadis, Luculli, Piſonis, Craſſi, Syllæ deprehenderam. Placebat ea quæ ſolida, & quæ pudore ſecluſo, ſuperbiam non afferret. procul à ſordibus, ad ſplendorem prope accedens, cui nemo detraheret, quæ detraheret nemini: clara quidem & conſpicua, ſed quæ aliorum luminibus non officeret: quæ ſe ſolâ contenta non eſſet, nec factis abſtineret, quod lucis ſatis in ſanguine habere ſe crederet. Sed quæ ſtimularet ad famam, & virtutibus cuperet augeri: quæ non ſocordes ſed fortes: non ignavos ſed gnavos redderet. Qualem apud Spartanos Braſidas & Lyſander; apud Athenienſes Miltiades, Themiſtocles, Conon; apud Thebanos Epaminondas, apud Romanos Coriolanus, Decius, Metellus, Sertorius habuere. Hujuſmodi Tuam eſſe, Clariſſime Imperator Cromwell, comperimus; puram, ſolidam, veram; non fuci ſed ſucci plenam; non tam floribus, quàm thoris

conſtantem: non involutam fumo & in auras euntem, ſed apertam & claram, firmo veſtigio ad ſumma conantem; in quâ Te jactes, non inſoleſcas, quæ neminem negligat, & à nemine deſpiciatur; quæ non deſideret lucem; ſed à Te ſplendorem deſideret; laudis non vacuam, ſed plenitudinem gloriæ anhelantem. Nobilitati, quæ aliena magis quàm propria, quod ab aliis accipitur, dici ſolet, adjecerim Studia Literarum, quibus excoleretur Ingenium, ſubigeretur, illuſtraretur mens, acueretur ratio: Sed ea tamen in homine ad Remp. inſtituto, & ad Politica munia traducendo moderata optabam. Nam cum Ars gerendi & adminiſtrandi Remp. actuoſa πρακτικὴ que fermè ſit, conſilio magis & prudentiâ, quàm ſcientiâ & ſapientiâ, quæ ſpeculatrix eſt, ac θεορητικὴ continetur. Quare neceſſe eſt ei, qui ad eam regendi & imperandi artem educatur, tingi quidem literarum ſtudiis, quæ modicè erudiant, & ab eo ignorantiam inſcitiamque depellant, non ita tamen inſtitui, ut exactè illas & perfectè calleat: neſcio enim quo pacto illa acumina ſcientiarum, cùm intellectum acuant, hebetent animum; ac ejus ad Reſpublicas gerendas intentionem frangant. Fortè quòd ſpiritus ad Actiones neceſſarios extenuent, & extenuando abſumant, proindeque defectus iis animus elangueſcat. Delicata illa ingenii & mentis ſtudia ſunt: ſolem & pulverem non amant: umbrâ ac ſeceſſu delectantur, turbâ & negotiis impediuntur: contrahuntur horrore armorum, & forenſi ſtrepitu deterrentur. Tanquam nobiles ac teneræ virgunculæ Domi liberali cuſtodiâ potius continendæ ſunt, quàm in aciem diſcrimenque educendæ. Quare Nobiliſſimi ſuperiorum ætatum Imperatores ſic ſe inſtituendos præceptoribus dederunt, ut colerent magis illa ſtudia quàm profiterentur; tantumque incumberent, quantum ſatis eſſet ad inſtruendas mentes, non penitùs imbuendas.

das. Eam rationem Achilles Heros ſub Chirone & Phœnice: Eam Alexander ſub Ariſtotele: Epaminondas ſub Lyſiâ: Scipio ſub Panætio tenuerunt. Braſidam, Ageſilaum Cleomenem, Lacedæmonum; Miltiadem, Cimonem, Timotheum Athenienſium; Pelopidam Thebanorum; Fabium Marcellum Scipionem alterum majorem, Flaminium, Pompejum Romanorum maximos Duces non indoctos fuiſſe accepimus: ſed ab illâ diſciplinarum, quæ homines literatos reddit, inſtitutione alienos. Quanquam verò Pericles inter Græcos, Iulius Cæſar inter Romanos videri poſſint Sapientes, certè laus illa intra Eloquentiam, quâ maximè uterque valuit, continetur: quæ impetu & naturâ magis quàm arte præceptiſque conſiſtit. Itaque alterum fulminare cum dicebat, alterum eo animo, quo bellavit, dicere, memoriæ proditum eſt. Hac ſanè quam ego in hiſce aliiſque clariſſimarum Gentium Ducibus obſervaram, ratione, ad literarum ſtudia, Imperator maxime Cromwell, animum adjeciſti. Collegiſti quidem Cantabrigiæ literarium pulverem, ſed non in eo orbitam altiorem impreſſiſti. Excoluiſti animum iis artibus, quæ liberalem indolem decent, deterſiſti rubiginem mentis, ingenium acuiſti, eam opinionem conciliaſti, ut imperitiæ notam evitares, Teque ad ſumma Reipublicæ munia gerenda diſciplinarum rudimentis comparares. Illud quidem ingenii ſpecimen præbuiſti, ut palam faceres, ſi velles ulterius diſcendo progredi, ſummis Te magiſtris parem eſſe potuiſſe. Quod olim de Iulio, cujus Tu proximè veſtigia ſequeris, vel princeps ipſe in omni doctrinarum genere Cicero teſtatus: Verùm eum Tu in gerendâ Republica quàm Ciceronem, imitari maluiſti, non ſedentario ac delicato Senatoris: Sed irrequieto & acri, laborioſoque munere Imperatoris. Non decebat mollem in otio literario manum langueſcere, quæ ad

arma tractanda erudienda erat, aſperitate ac induranda. Non inter noctuas tenebris addictas implicanda plumis dextera, qua inter Aquilas ſolis æmulas, paulò poſt erant fulmina intorquenda. Quod ad inſtitutum vitæ attinet, optimi quippe Imperatores probi ac frugi cives fuerunt, & dum eorum operâ patria non indigebat, domeſticis rebus, privatiſque negotiis, ſi qua occurrerent, intenti vacabant. Ethicen & Oeconomicen, quæ ad Politicen documento & adjumento ſunt, tum erga ſe exercitatione virtutum, tum erga ſuos inſtitutione, & exemplo profitebantur. Nec enim qui ſibi moderari nequeat, ſuos in officio continebit; & qui Familiam ſuam rectè adminiſtrare neſciat, ab eo Reſp. geri non poterit. Nec minor ſanè laus eſt optimi civis, quàm ſummi ducis; cum illud propriæ induſtriæ ac virtutis ſit: hoc multorum operæ & plerumque Fortunæ. Quippe qui benè moratus civis non fuerit, Patriæ pernicioſus exiſtet. Talis Piſiſtratus, & Critias apud Athenienſes, Cajus & Tiberius Gracchus primum, deinde Antonius apud Romanos fuit. Ideò præſtantes quippe in Republica viri probare moribus ſui fidem & ſtudia patriæ voluerunt. Hac ſe Camillus & Fabricius Romanis; Amilcar & Annibal Pœnis; Lycurgus & Agis Lacedæmoniis; Solon & Phocion Athenienſibus: Philopœmenes Achæis; Dion Syracuſanis probitate commendarunt. Ac eo quidem caſto & incorrupto tenore vitæ extremis Libertatis Romanæ temporibus duo Marci excellecerunt; Marcus Cato & Marcus Brutus. Horum Tu (Cromwell) ita imitatus es mores, ut planè expreſſeris. Domum receptus, quam nobilem copioſamque acceperas & feceras, ductâ clariſſimâ conjuge, ita privatus vixiſti, ut Magiſter probitatis viderere, non extra vitia tantùm quæ exigua laus eſt, ſed intra virtutes. Iuvabat indoles excelſa; generoſa; cui niſi honeſta placerent.

Inerat

Inerat judicium certum, conſtans, maturum; quod integritatem probabat. Animus à cupiditate & avaritiâ liber ſordes aſpernabatur. Accedebat prudentia, quæ rationi conſentanea ſuadebat. Itaque facile erat virtutem amplecti, & eam foras per exempla producere. Quibus ceu vivis documentis Familia inſtituta, optimorum doctrinam morum imbibebat: ſeque præceptori ſuo conformabat. Nullum in ea recti honeſtique officium quiſque Stoïcæ Philoſophiæ Magiſter deſideraret. Non integrius Cincinnatus, non incorruptius Serranus, non honeſtiùs Cato ille Cenſorius vixit. Divinare jam tum eum crederes, quid futurum eſſet, atque ex ante ſe præparare ad admirationem Reipublicæ. Intra humanitatem ſeverus, intra ſeveritatem humanus: facilis juxta graviſque: moderatus & celſus: parcus ſine ſordibus: liberalis intra modum; ſed plerunque parſimoniæ iratus, largitati pronus, ut videretur modo indignari, exceſſurus, niſi vitium eſſet: multa ſibi interdicere; plura aliis indulgere, at citra licentiam; hanc caſtigare, & frœnare iram; coercere luxum, omnes in officio continere; amicitias impenſe colere; inimicitias haud temere ſuſcipere; ſed ſuſceptas conſtanter retinere; verùm amori plus, odio minus tribuere. Iam verò pati quædam, nonnullis ſuccenſere, ſed plura diſſimulare, ac diſſimulando ſagax & aſtutum ingenium præ ſe ferre. His dotibus tum inſitis à naturâ tum comparatis induſtriâ, natus factuſque ad ſumma Reipublicæ videbare. Meritis antevertebas dignitates, & antequam adipiſcerere, dignum Te, qui gereres, planè monſtrabas. Nec Te ingeſſiſti, niſi cum operam tuam expetivit fortuna Reipublicæ. Illud priſcis heroibus ſanctum & ſolenne fuit, occaſiones juvandi Rempublicam expectare, non ſumere; ne viderentur ſtudio ambitionis ducti, obtrudere ſe honoribus, & privata commoda rationibus

anteferre communibus. Nec enim debet civis honeſtus & bonus ad Remp. non vocatus accedere; cenſetur autem vocari, aut cum rogatus nomine Populi, aut cum ejus opem implorat ſtatus miſer rerum publicarum. Ita ſe geſſiſſe legimus Camillum, Gallis Senonibus invadentibus Romam, cum ab Ardeâ ubi exulabat, collegit milites, & hoſtes oppreſſit avertitque. Nec ei præferendus Cincinnatus eſt, qui ad abigendos hoſtes Æquos à populo Romano, rure eſt evocatus. Niſi forte peccavit Lucius Iunius Brutus, cùm privatus illatam Lucretiæ vim ultus, Regem Tarquinium ejecit: & Marcus Brutus, cum Tyrannum ſuſtulit, ut regnum tolleret. Magnum pondus habet neceſſitas publica: majorque eſt vis injuriam patientis, quàm rogantis: cum interdum os ei obſtruatur ne roget: ac ne gemendi quidem poteſtatem habeat. Oblata, eaque ingens Tibi ſubveniendi Patriæ calamitatibus Cromwell Clariſſime! occaſio eſt. Cauſas ego mutati Imperii non inquiro. Tantùm ſtudium libertatis laudo; & præclara à Te in eâ ſtatuendâ & confirmandâ geſta facinora. Etſi enim prudentium ſit moveri magis cauſis eventorum, quàm ipſis eventis: ac his regi ac duci plebis ineruditæ proprium videatur: præſtat tamen externum hominem ab indagandis examinandiſque rerum cauſis abſtinere, quæ occultæ ac graves ſæpè ſunt, nec temere inveſtigari, cenſerique debent. Ab eo præſertim qui iis intereſſe non potuit: cui eventus tantùm, qui perſpicui ſunt, licet expendere: nec verò ignorantiæ id, aut inertiæ, ſed prudentiæ ac modeſtiæ imputandum. Præterea etſi ſtultum ſit ex eventibus æſtimare judicia conſultantium, eaque ſucceſſibus aut eos judiciis metiri, cùm quid eventurum eſt, in noſtrâ poteſtate non ſit; non eſt tamen à ratione alienum, in eventibus judicia quædam ſuperioris Providentiæ agnoſcere, ac revereri, quæ ſæpe recte conſulta diſſi-

diſſipari ſinit, & temere ſuſcepta confirmat, ad exitum fauſtum felicemque perducit. Itaque humana ex ſucceſſibus conſilia æſtimanda non ſunt; ſed in iis divina judicia pendenda, timendaque. Vnde egregie Lucanus de Bello civili inter Pompejum & Cæſarem dixit:

Victricem cauſam Diis diſplicuiſſe, Catoni victam ——

ut doceret interdum probatæ cauſæ eventum deeſſe, nec ſemper meliora melius cadere; aliter rem ſuperis, quàm probent homines, diſponentibus. Nam cum multò juſtior cauſa Pompeji, quàm Cæſaris eſſet, atque ob id Catoni placuerit: aliter tamen videri viſum eſt ſuperis, dum civili bello, qui cauſa vincebat, vinci eum voluerunt. Non eò hæc dico, quod improbem cauſas mutati imperii, ſed ut conſilium eas permutandi meum, Tibi ipſi, cæteriſque legentibus approbem; atque adeò eventus ſolos, quos feliciſſimos virtus tua effecit, commemorem. Atque id præſtando appareat, cui res tàm proſpere feliciterque ceſſerunt, eum omnia ſua conſilia, ſtudia, facta ad communem utilitatem ſalutemque Reipublicæ non ſine Numine contuliſſe. Igitur cum Anglia ſe ad nomen Libertatis commoviſſet, & ad illud quaſi ſignum à Patria propoſitum, cives convolare cœpiſſent, in animum induxiſti Tuum, Clariſſime Cromwell, non medium te gerere, ſed uni parti addicere, & ſenſus ei tuos ſtudiaque adjungere. Nullum eſſe in Republica putabas civem, qui nullarum partium eſſet. Memineras illius memorabilis Solonis judicii: qui (Tullio teſte) capite ſanxit, ſi quis in ſeditione non alterutrius partis fuiſſet: quo idem motus Cicero Pomponii Attici relicta ſententia Pompejanis, quas ſaniores exiſtimabat, partibus ſe dedidit. Cenſebas, qui neutram ſequatur partem, eum tumidum, aut avarum, aut penitus ambitioſum eſſe, cum dum ab alteris timet, nolit ornamenta aut parta amittere,

aut

aut ſperata contemnere. Retinere ſibi ſua; ac omnem eventum in ſuas rationes trahere; nec tam Patriæ quàm ſibi conſulere conatur. Sanè cum ea ſciſſa eſt in partes, qui in alterutra non ſit, is medium ubi conſiſtat non habet: atque adeò civis eſſe non poteſt. Prævidiſti hæc ſapienter: ac uni te parti dediſti. In qua eligenda Libertatis rationem habuiſti: ut ibi patriam eſſe exiſtimares, ubi Libertas eſſet. Iudicaſti ſub glorioſo nomine ineſſe poſſe nobilem ſpeciem ſervitutis. Sanè ad quos acceſſiſti, magnum iis præjudicii pondus, & fortunæ momentum attuliſti. Cauſæ ii Catonem, Bello Cæſarem Comitem adveniſſe putarunt. Plurimis ea cauſa probari cæpit, quod eam tu approbares. Non pauci alteri diffidere quod tu deſereres. De eventu omnes agitare. Sed cum te videre pugnantem, nemo non tuis victoriam portendere. Et quidem principio mixtus Principibus bellaſti: ſed ita ut inter eos Princeps eſſes. Id omnes mirari: tot in te bellicas virtutes ſubitò affulſiſſe; ut eas in ſinus animi collegiſſe anteà & uno omnes impetu effudiſſe viderere. Prudentia Fabium, aſtu Annibalem, ardore Marcellum, virtute Camillum, fortitudine Curſorem, dexteritate Scipionem, violentia Cæſarem referebat. Sic aciem inſtruere, ſic explicare, ſic aggredi, ſic hoſtem circumvenire, ſic urgere, ſic premere, ſic impellere, ſic dejicere, ſic diſſipare, ſic fundere, ceu ex eorum contubernio prodiiſſes. Nam quæ de iis apud ſcriptores legimus, ea expreſſa à Te oculis noſtris inſpeximus. Quæ illi documenta virtutis dederant, tu pugnando exempla effeciſti. Tot dotes erant, ut uno capi vix poſſe viderentur: ſed omnium natura tua capax erat, & adhuc vacuus ad alios locus patebat, quæ cum plures numero eſſe non poſſent, creverunt iſtæ & majores factæ locum implerunt. Militaria munia obiiſti, ut ad Imperatorium culmen per gradum aſcenderes: ne quis fortunæ

tunæ potius aut gratiæ, quàm virtuti, aut meritis honores assignaret. Tardius eos es consecutus, quàm communia vota optabant. Nullum adeptus quem non antè judicia destinassent: ad quem studia populi cum plausu deduxissent. In summâ omnium voluntate sola tua deerat: invitus ad honores trahebaris: prensabant te homines, te ambiebant, quas alii ambiunt, dignitates. Novum hoc erat, sed virtuti tuæ congruum: circuiri te undique & optari, deque te omnes uno contendere. Quin ipsa glomerabantur negotia, occasiones cumulabantur rerum pro Republica gerendarum. Paucis annis imò mensibus tot patrasti, quot summi alii Duces integris ætatibus vix agere potuerunt. Serebantur bella ex bellis: nulli non intereras. Vertebat se in facies rerum status, omnibus prospiciebas. Fluctuabat variis agitata motibus Respublica. Clavum tu ad quemcunque impulsum flectebas. Alius obrueretur, quibus tu volabas. Circumducebas copias, circumferebas arma, perinde ac membra artusque tuos moveres. Quod de Romano milite Tullius scitè ac disertè dixit. Eum cum suscepto itinere onustus gradiebatur non numerare magis inter onera arma, quàm humeros, lacertos, manus, quòd illis, ceu membris utebatur: id certè in te Imperatoria gerente munera quadrat mirificè. Omnia sic obibas, ut non modò obeundo minimè laborares, sed ut per ea sentire ac vivere videreris. Nec oneri esse ducebas, sed adjumento, & incitamento. Insolentia rei animos hominum commovebat. Mirari complures posse à te tantam negotiorum molem sustineri, ignari profectò virtutis tuæ, ac eam suarum virium æstimatione metientes. Quia pondere impares erant, parem ei te non putabant. Ecquis naturæ avium inscius, & volandi rationis ignarus in Aquilam humi cubantem incidens, ac vim pennarum densissimarum maximarumque scapulis & dorso in-

cumbentem aſpiciens, non putet iis opprimi & gravari? credens eam plumeam molem impedimento ac oneri eſſe coopertæ ac involutæ? Et cum poſtea videat excutientem alas, explicantem pennas, & circinnato plumarum orbe coronantem aëra, ſeque librantem, ac mox impetu rapidiſſimo, curſu volatico, qui præ celeritate deprehendi vix poſſit in nubes abeuntem, & momento ipſorum quos deluſerat oculorum aciem fugientem & in confinio ſyderum verſantem, non agnoſcat inani ſe ſpecie deceptum ignorantiæ ſuæ in pennato volucri pœnas dediſſe: ac quod volandi rationem minimè compertam haberet, tam abſurdè & ineptè de Aquilâ judicaſſe. Fateatur neceſſe eſt ille pennas avibus ad volandum à natura datas: quibus illæ tamen uti ſolæ poſſint, cum aliis inſtrumenta celeritatis non ſint, ſed potius impedimenta, quòd non apta ad volandum corpora ſortiantur. Haud ſecus qui te Clariſſime Imperator tot ornamentis præditum, tot dotibus ornatum, tot muniis diſtentum, tot curis implicitum, tot negotiis diſtrictum, tantâ rerum mole occupatum vidiſſet, ac iis virtutibus deſtitutus, & vacuus, quibus tu abundas, minùs benè te noſſet, ac in te tanta ſuſtinentem agentemque intueretur, exiſtimaret obrutum ac oppreſſum iri onere, ac pondere dotium, rerumque & occupationum maximarum: quem tamen cum vidiſſet poſtea tantæ moli parem, facilè omnia & ſuſtinentem & obeuntem: ac iis quaſi plumis ad volandum utentem, erroris ſui pœnitens planè damnatâ inſcitiâ fateretur Aquilam te Pyrrho Imperatori ac Regi præſtantiſſimo (quem vocarunt Aquilam) ſimilem eſſe, qui nubes volatu poſſis tranſcendere, & ſolem fortibus oculis intueri. Ea eſt ratio adminiſtrandi belli, ut prudentiam æquè ac fortitudinem exigat. Nam vis conſilii expers impetu ſuo ruit: & Conſilium viribus deſtitutum ſeneſcit, & languet. Armatam

tam idcircò è Cerebro Iovis prodeuntem Veteres finxerunt Palladem: ut docerent Arma valere consilio, & Armis muniri judicia. In cerebro excogitari viam ad arma promovenda: nec nisi in officinâ cogitationum & curarum cudi invicta tela: illum è cœlo pugnare qui utrumque conjungat. Pro Numine habendum ducem, qui Arma Consiliis misceat. Hunc instar Numinis Fortunæ ictibus non esse obnoxium: ac minus quàm Achillem patere vulneribus. Consilio Romanos sæpè Annibal maximeque attrivit. Hunc non armis rursum Romani sed Fabii consiliis fregerunt. Idcircò Nestora Agamemnoni Polydamanta, Priamo, Homerus Consiliarios attribuit in eo, quod clarissimum fuit, bello; cum alteri Achilles, alteri Hector adesset: ut quanta in consiliis vis ad res bellicas administrandas essent indicaret. Vtroque te, Cromwell Amplissime, in maximis quos suscepisti gessistique bellis valuisse comperimus. Ingenio acutus: manu promptus: judicio maturus; dexterâ validus: consiliis lentus, armis expeditus; sagax ad prævidendas, cavendasque insidias, ad præcipiendas occupandasque artes callidus: ad dissipanda & eludenda consilia hostium providus. Momenta temporum exactè pendere, quæ cum levissima sint magnum ad victoriam pondus afferunt: occasiones expectare, ac eas venatico captare more: ut cum se darent, quà tenderent, quo evaderent exploratum esset. A fronte occurrebas omnibus, & quà maximè crinitæ erant, apprehendebas. Iis non utebare modò, sed etiam fruebare. Nullam elabi aut cum Hannibale ad Cannas, aut cum Pontio ad Caudium, aut cum Pompejo ad Dyrrachium passus es. Scipionem ad Zamam, Neronem ad Metaurum, Cæsarem ad Pharsaliam imitatus. Parebant tibi aliena consilia, nemini Tua. Astutus ad explorandum, cautus ad regendum. Oculatus cum Andabatis præliabare. Cum omnium cogi-

tata anteverteres, nemo antevertit tua: nisi cum patrata videbat. Fulminis instar prius feriebas, quàm tonitrus existeret: sed nec erat qui prægnantem igneo fœtu nubem videret. Hoc Fabio Romano superior, quod ejus fulmina in nube cudi ante partum Annibal deprehendit: tua nemo nisi ex ictu & cineribus post ictum agnovit. Fortitudo consiliis par. Vis animi acris, impetus vehemens, constantia pertinax. Belli discrimina sic expendebas, ceu timeres: sic subibas, ceu temneres. Objecta menti pericula cavebas, perinde ac odisses, re oblatâ accipiebas, perinde ac amares. Ante pericula cautus, in periculo interritus. Temerarius sæpè videreris, nisi ante prævidisses. Scienter cum Pyrrho locum castris capere; peritè cum Camillo aciem instruere, alacriter cum Papyrio in hostem ire, promptè cum Rutiliano dimicare, acriter cum Philone urgere, pertinaciter cum Levino instare, graviter cum Manlio cædere, penitus cum Cæsare profligare. His artibus primum in Anglia, privatus Dux te apud Imperatores probasti, Cæsonem, Sicinium, Scævam, Attilium secutus: sed ita ut te in summam belli positam esse intelligerent: ac unde tu irrueres, inde incepturam victoriam existimarent. Parendum tibi primum fuit: ut disciplinam ad munus Imperatorium, quod statim eras obiturus afferres: nec id beneficium datum à Republica, sed præmium virtuti redditum videretur. Et verò quâ tu peritiâ, quâ audaciâ; quâ constantiâ, apud Edghillum cum hoste pugnasti! ut hujus confessione cum hoste primas in eâ comparandâ victoriâ tuleris, & fortissimi Ducis laudem comparaveris. Quid? quod apud Marstonimorium, atrocissimo commisso prælio partem hostium pugnacissimorum quæ tibi obtigerat strenuè dimicando cecidisti, fugasti: & reductis à cursu copiis, partem aliam hostium, quæ alterum tuorum cornu protriverat integrum

tegrum ferocemque profligaſti. Fabio Maximo ſimilis, cum ſervato Minutio Annibalem: ac Metello, cum recepto Pompejo Sertorium ſuperavit. Bruto ſuperior, qui apud Philippos debilitato Octaviano Antonium de Caſſii copiis victorem frangere aut omiſit, aut non potuit: atque adeò allatâ ſibi morte imperfectæ victoriæ pœnas dedit. Vnus tu Dux omnibus par copiis fuiſti, quòd neminem in iis parem habuiſti. Iam verò clariſſima Naës byfieldenſis à Te pugnata pugna illi ad Regillum lacum à Poſthumio, & illi ad Leuctram ab Epaminondâ commiſſæ ſimilis evaſit: in quâ eximii Ducis, & fortiſſimi Bellatoris ſpecimen præbuiſti. Nec te magis hoſtium Imperatores timebant, quàm amabant & colebant tui. Terrorem incutiebas hoſtibus, apud Tuos gratiam colligebas. Ferreum te ac Ferum ii appellitabant, tui cereum ac mitem dicebant. Inter metum & amorem poſitus: his amabilis, illis terribilis videbaris. Erat non minus mirabilis virtus tua, quòd formidanda hoſtibus, quam quòd tuis invidioſa non erat. Nunquam eminentia invidiâ carent. Gravius certè periclitatur apud domeſticos ſumma virtus quàm apud hoſtes. Hi cæduntur & pereunt: illi accenduntur & perimunt. Hi in acie tantùm nocere poſſunt: illi in pace officiunt. Hi victi gloriam augent: illi invidi minuunt. Ab illis vis, telum, & inſidiæ, quæ vitari poſſunt timendæ ſunt. Ab illis fraus, aſtus, & doli qui vix poſſunt averti. Ab hoſte armis qui ſatis munitus ac tutus: ab æmulo ne innocentiâ quidem. Verùm ea virtutis tuæ felicitas fuit, Clariſſime Imperator, ut inviſa nemini, omnibus gratioſa extiterit. Admirationem attulit, invidiam extinxit. Magnitudinem rerum geſtarum admirabantur, quam cum aſſequi non poſſent, non invidebant: quod nemo invidere ſolet, niſi ei quem æmulari poſſe confidit. At quis extra omnem virtutis aleam poſitum æmulari, imitative au-

deret? Quanquam quis invideret ei qui pro Republicâ pugnabat? cujus facinora è Republica erant? An ſibi quiſque ſuiſve invideat? Cum omnes ejuſdem Reipublicæ membra eſſent, non poterant civem, per quem ſtabat florebatque Reſpublica invidiæ inſectari? Quid? quod modeſtia & temperatio materiam auferebat invidiæ? Plerunque eminentis cujuſque excellentia voluntatem alienat, & anſam præbet invidiæ. Qui moderatè ac modeſtè ſe gerit, uti conciliat amorem, ita avertit invidentiam; nemo carus invidiam patitur. Tu omnibus amabilem te modeſtiâ & temperatione præbebas. Nihil tibi arrogabas, nihil aliis detrahebas. Facta tibi vendicabas, famam cæteris relinquebas. Tibi pericula, gloriam reliquis reſervabas. Nihil erat invidendum in eo qui nihil glorioſum retinebat, imò qui gloriam in eos qui invidere poterant, transferebat. In locum invidentiæ gratia tranſibat, cum tranſlatâ in alterum gloria hic pro beneficio gratias agere referreque debuiſſet. Duo ſunt quæ hominibus ad culmen honoris graſſantibus munire viam & aditum parare ſolent: ſumma virtus & ſumma gratia: Nam etſi virtus ad merendum ſatis, non ſufficit tamen ad habendum. Cum enim accipiendi honores ſint à Republica qui Cives erga ſe benevolos non habeat, is eos comparare non poterit. Nihil ſane ad virtutem defuit Ariſtidi Athenis: nihil Cleomeni Lacedæmone, nihil Coriolano, Metello, Sertorio Romæ: quia tamen gratiâ populi deſtituti, partim inglorii vitam agitarunt, partim exuti honoribus laborarunt infamiâ. Contra Pericles & Cimon apud Athenienſes; Braſidas & Ageſilaus apud Lacedæmonios: Camillus, Scipiones, Marius, Sylla, Pompejus apud Romanos, quod magnâ gratiâ floruerunt, honores ſunt ampliſſimos in Republica conſecuti. Sanè uti virtus propria, ita gratia aliena: atque adeò in parte felicitatis ponenda:

quæ

quæ non eſt in poteſtate virtutis. Neutrum certè in Cromwello deſiderandum. Perſpecta in eo virtus: Gratia apud omnes explorata: ſed quam ei virtus peperiſſet. Eò ſpectatior quòd benevolentia merita ſequeretur. Itaque ad ſummos Reipublicæ honores evehi cœpit, prærogativâ ſingulari, quòd à maximo noſtræ ætatis Imperatore Farface, apud quem vera virtus valebat, commendatus, & à Republica in ejus eſt locum ſubſtitutus: Magna gloria utriuſque. Farfacis, quod non metuit, ne ſplendore ſucceſſoris luminibus obſtrueretur ſuis. Cromwelli, quòd non dubitavit tanti Imperatoris virtuti & expectationi reſpondere, Majore felicitate Reſpublicæ quæ duos ſortita eſt Cives, quorum alter ambitione major, deponebat & transferebat Imperium: alter fortunâ ſuperior tranſlatum fidenter accipiebat. Alter contemptor dignitatis: alter conſcius virtutis. Ambo Patriæ amantes: Ille reddendo munus; hic redditum ſuſtinendo. Felix Anglia duobus Civibus fulta ſtetit: cum multæ ac præclaræ Reſpublicæ à duobus Civibus ſint everſæ, & labefactatæ. Hannonis & Hannibalis contraria ſtudia Carthaginem perdiderunt. Romanam Remp. primùm Marius & Sylla; deinde Pompejus & Cæſar diſſentientes inter ſe & æmuli ſuſtulerunt. Farfax & Cromwell Angliam immortali ſui nominis gloria conſervarunt. Cæteri quippe perverſo ambitionis affectu Remp. ad ſe trahere: hi recto in Patriam amore, ſe ſuaque Reipublicæ tradere ſtuduerunt. Invenit intra ſe Anglia Atlantem & Herculem, humeris æquis, conſtantiâ pari, dato & accepto onere Reipublicæ concordes, & ſtabiles: in quibus non nutaret Patria, ſed firma immobiliſque conſiſteret. Suſcepto militari Imperio, ceu Fortunam in Caſtris haberes, ita tria Regna continenti victoriarum curſu peragraſti. At quæ Regna? illa ſane quæ à reliquo velut orbe divila, ſecum habi-

habitant, & connexa ſuo ſe vinculo continent, ac tuentur: clauſa mari, invia terris, viris, armis referta, ac prorſus adverſus vim externam oppugnationeſque munita. Hic illa Hybernia tota horrida, & militaris, ſpiritu fœta bellico, eructans arma armatoſque. Hîc illa Scotia, ſitu & ingenio aſpera, indomitæ gentis domicilium, Martialis palæſtra: in quâ duriſſimi bellatores ad belli diſcrimina eruditi, vel ipſo Caledoniæ nomine horrendum quiddam & abſtruſum ſonante terribilis. Hîc illa Anglia Generoſa tellus, Heroum Procreatrix, Palmarum Regio, Laurorum ſedes, Cumulus Trophæorum; cujus montes ac Promontoria captorum de multiplici hoſte ſpoliorum faſcibus coronantur. Hæc tot Imperatoribus invia, invicto uni tibi Cromwell pervia, domita ſubactaque ceſſerunt. Paſſu alius levis, expeditus, inermis, tàm citò peragrare vix poſſet, quàm tu gravis armis, impeditus copiis, diſtentus præliis circuiſti. Quod Cæſari ſemel accidit præ celeritate venire, videre, vincere; majore tibi ſæpius gloriâ contigit; cum ille in ignaviſſimos & fugaciſſimos: tu in audaciſſimos & pertinaciſſimos hoſtes incidiſſes; cum his ſi Cæſar demicarit, ſudaret profectò, nec fortè viciſſet: Tu ſi cum illis bellares, ne vidiſſes quidem, quod antè fugiſſent. Et verò Cæſaris victoria intra fortunam fuit: tua intra virtutem. Nullum non à te prælium citra periculum ſuſceptum, ſine diſcrimine initum. Pudebat te Palmæ inertis ac mollis. Innocentiam cùm amares, innocentes pugnas faſtidiebas: nec Trophæa incruenta placebant. Indecorus ac fœdus redire, unde non ſanguinem, ſordes qui bellici pulveris referres, videbare. In bellis ſcilicet Fulmen agebas. Tuum erat ibi ferire, ubi durities ac vis ad reſiſtendum erat. Indignum putabas cedentia & blanda lædere. Dura & indomita quærebas. Qui delicias domi adverſabare, qui delicatâ foris victoriâ oblectarere?

rere? Et verò ceu Tibi ad nutum obtemperaret Fortuna, maxima prælia quæsivit, in quibus cum acerrimis hostibus dimicares: ut ubi virtus se eximia tua exerceret, & quanta vis esset victoris, fusis validissimis & maximis copiis appareret. Testor, ut alia omittam, Dumbarrense illud memorabile prælium, in quo instructissimos exercitus Ducibus militibusque ferocibus abundantes, collectis undique è Scotia viribus formidabiles, animis viribusque fidentes aggressus, dissipasti, fudisti: ea virtute, qua Darii Miltiades ad Marathonem: Xerxis Pausanias ad Plateas: Gallorum ad Alliam Camillus: Romanorum ad Cannas Annibal: Carthaginensium Livius, & Nero ad Metaurum Fluvium copias dissiparunt. Tanta ejus prælii strages fuit, ut non modò cadaverum cumuli campum oppleverint, sed ii etiam sanguine stagnaverint; nec sola corpora pugnantium, verùm totius quoque gentis animi ceciderint. Ea enim vera victoria æstimanda est, quæ ultra pugnam tenditur: & superstites quoque exarmat, & exanimat, ac ex acie in regionem procedit; & famâ civitates, conventus, oppida ad deditionem compellit. Multò plus agit tonitrus, quàm fulmen. Innumera oppida, castella, arces, urbes, hoc nuntio, ceu tormento ictæ, in Anglorum potestatem venerunt. Quanta vis Fulminis, cujus Tonitrus tanta vehementia ferebatur! Vna tamen Civitas Edinburga fortissima, frequentissima, munitissima, Arce propè inexpugnabili moram currenti victoriæ afferre voluit. Sed conspecto Cromwelle, obstupuit & cessit. Arx sola restitit; situ, munitione, præsidio nixa. Nimirum nova Imperatori tanto militaris materia Laudis parabatur. Ars & peritia oppugnandi & expugnandi, magni certè semper apud Principes Duces habita fuit. Valet, quippe ingenio & constantiâ, & duriore virtute Patientiâ. Sanè qui in acie pugnat, uno tantum veluti

pari par, & cum aperto apertus pugnat hoſte; qui oppidum arcemve oppugnat, impar ſuperiorem, apertus tectum & tutum hoſtem aggreditur: nec cum eo tantùm ſed cum turribus & propugnaculis, imò & ſæpè cum incommodis, difficultatibus, temporibus ac elementis confligit: Igitur novam virtutis bellicæ occaſionem nactus, quantus in omni militaris peritiæ genere fores Cromwell Ampliſſime, demonſtrâſti. Tam ſcienter, tamque fortiter Arcem oppugnaſti, ut quamquàm ſe pertinaciſſimè hoſtis defenderet, brevi in tuam poteſtatem redegeris. Camillum ad Vejos, Lyſandrum ad Athenas, Alexandrum ad Petram, Annibalem ad Suguntum, Scipionem ad Numantiam, Cæſarem ad Alexiam victor expugnatâ Edinburgâ repræſentaſti. Eodem momento decuſſæ è coronâ murorum pennæ, & cætera circumjecta oppida ſubacta. Non plura poſt Cannenſem cladem ad Hanibalem: pauciora ad Scipionem, debellatis ad Carthaginem Novam Pœnis, defecerunt, quàm expugnatâ Edinburga Cromwelli ſeſe dediderunt. Tot eam quaſi appendies ſecutæ Arces. Quarum nomina ſi nanciſcerentur Scriptores Romani, ex horrore ſoni plauſum quærerent. Iactarunt enim incondita quædam vocabula inſolentius, ut exaggerarent ſonorum aſperitate victorias. Corniculum, Cruſtumerium, Eretam; Corbionem, Satrivilum, Anxur, Verruginem, Geſſoriacum in ore habuerunt. Quanto horridiora ſunt Kebbrigetium, Roſtbandum, Sithgras, Tantalon, Craufordium, Barthwickum, Blakneſſum, Dougla, Dunda, & alia uti in Scotia & Caledonia metuenda. Quin ex ipſius Regni nominibus aliquid arriperent ad Ducum ſuorum famam augendam. In Scotiâ enim tenebricoſum quiddam invenirent, unde lucem accenderent: in Caledonia Sylvarum denſa, & abſtruſa frigerent, in quibus Monſtra Calydonio Apro ferociora

ſævi-

ſævirent, ad novos ſibi Meleagros fingendos. Sane majus quiddam fabuloſo illo Heroë in Te O Cromwell reperiſſent, qui unus tot hoſtium immaniſſimorum copias debellaſſes. Pullulabant Palmæ, quâ tuæ victrices copiæ incedebant. Eminet illa Fifania Palmaria Romanis Triumphis digna, quam Samniacis & Nolanis, Vejentareis, Cimbriciſque anteponam. In ea quippe cruenta pugna auſpiciis tuis, Ductu Lamberti Fortiſſimi & Maximi Ducis: (quem tibi ſuperi & clarum Ariponem ſingulari beneficio comites dederunt) acerrimos hoſtium Duces, ſtrenuiſſimos milites veræ & ſolidæ virtutis nervis tui fregerunt: & non modo Scotis arma & opes, ſed ſpem quoque ipſam vincendi reſiſtendique ademerunt. Ad eam tu victoriam comparandam præclaro facinore viam aperuiſti: trajecto felici audaciâ freto illo Forthio: in quo ſane tranando expectationem omnium ſuperaſti, & admirationem tui hoſtibus attuliſti; nec te aut in trajectu Rodani Annibal, aut Rheni Cæſar, aut Araxis Auguſtus ſuperavit. Frœnos indomito illi & feroci freto impoſuiſti, quos momordit illud, & ſpumas egit vel invitum: nec Xerxis compedes deſideraſti, quod illud fortius ac vehementius ſubegiſti. Viſæ ſunt impatienter ferre Armatos undæ, & indignari oneri: & cum non poſſent excutere, dolere ac fremere, ac horribili ſono Fifaniam ſtragem portendere. Ad extremum illud & maximum, in quo de ſumma rei Scoti dimicarunt, prælium venio. Illud inquam Vigornianum, omnibus totius anteactæ ætatis acerrimis comparandum: Nam neque apud Mantineam Thebani cum Lacedæmoniis, neque apud Zamam Annibal cum Scipione, neque in Pharſalicis campis Pompejus cum Cæſare, neque apud Mutinam cum Antonio Conſules, neque apud Philippos cum Auguſto & Antonio Brutus & Caſſius acrius & pertinaciùs dimicarunt. Collegerant undique

opes, copias, vires Scoti, & ſpe novâ, & deſperatione antiquâ: ſpes accendebat, deſperatio irritabat; ex illa animi, ex hac iræ: qui ſtimuli ad pugnandum acres. Vltimam jacere aleam parati vehementiùs incumbebant. Pro Regno primùm & Patria, deinde pro honore, tandem pro ſalute pugnaturi. In diſcrimen ſanè afferrent Anglicam rem niſi in Cromwellem incidiſſent. Hic eorum conatus eluſit, impetus fregit, vires attrivit, copias diſſipavit, & uno prælio bellum omne confecit. Ageſilai, Scipionis, Cæſaris virtutem & fortunam aſſecutus. Nemo unquam te, Clariſſime Imperator, peritius aciem inſtruxit, nemo alacriùs induxit milites, nemo ardentius hoſtem invaſit, nemo conſtantius repreſſit, nemo vehementiùs repulit, nemo fortius cecidit, nemo violentiùs impulit, nemo latius fudit, fugavit, diſperſit: nemo feliciùs ſuperavit. Hâc una victoriâ ſubegiſti Scotiam, domuiſti Hyberniam, liberaſti Angliam, Remp. recreaſti, ſtatuiſti, confirmaſti. Patuit eâ die tantum in te peritiæ rei militaris, eſſe ut ſcias: tantum virtutis ut poſſis: tantum felicitatis ut debeas, cum velis hoſtem vincere. Omnia quæ induſtriæ ſunt, in poteſtate tua eſſe: Fortunam, quæ ſui juris eſt, tibi uni ſe addixiſſe: Viſam alibi imperare, in caſtris tuis ſervire: & quæ ſupercilio ſuo bella ſuſpendit, tuo nutui obedire. Equidem ego, omnium Annalium monumenta evolvens, ſex fermè tantùm ab orbe condito Imperatores reperi, qui cum plurima maximaque geſſiſſent bella, ex omnibus victores ſemper evaſerint: nec unquam adverſam pugnando fortunam experti fuerint. Alexandrum, Camillum, Scipionem, Cæſarem, Beliſarium, Scanderbechum: quibus addam proximis annis Guſtavum Adolphum Magnum illum, & Magnæ Chriſtinæ Patrem. Debemus hoc ætati noſtræ, O Cromwell, quod te tulerit, vel debet illa tibi, quòd te illi præſtiteris invictum, & ſex illis ſeptemve

adden-

addendum, ut quemadmodum ſeptem ſunt Artis miranda, ita & totidem ſint virtutis: Imò & ſeptem illis tu unus additus, octavum efficias: & omnium ſis unus compendium, quòd omnia & ſuſtineas & repræſentes. Eſt in te quippe Magnanimitas Alexandri, virtus Camilli, Conſtantia Scipionis, vis Cæſaris, Peritia Beliſarii, Fortitudo Scanderbechi, impetus, ſi placet, Guſtavi: ut in quibus ſinguli præſtiterint, iis tu omnibus excellas: nec in Cromwell jam Imperatoris tantùm nomen; ſed virtutis etiam, ac felicitatis eſſe videatur. Verùm enim verò bellicæ laudes, etſi ſplendidæ magis ac ſpecioſæ, atque adeò ad pompam comparatæ ſint, non ideò tamen ſolidiores ac præſtantiores ſunt, quàm quæ virtutum operibus continentur: in quibus exercendis major eſt, quàm in militaribus difficultas: cum aliis alios, his autem noſmet ipſos vincamus. Quæ tanto eſt victoria clarior: ut ſummi quidam Oratores dixerint: qui alios ſuperarent hominibus, qui ſe ipſos vicerint, Deo fore ſimilimos. Certè qui virtutibus abundat, is, etſi bellicis laudibus careat, prodeſſe Reip. poteſt: ac ſibi togati ac optimi Civis gloriam comparare. Cujuſmodi fuerunt in Græcia Socrates & Plato: Romæ Cato & Cicero. Verùm qui eis dux careat, quamvis militari excellat gloriâ, ſæpe nocebit Reip. & nomini ſuo labem aſperget: Imò vix optimi Ducis officium præſtare poterit. Nam ſi cupidus aut avarus ſit, nec ſtipendia militibus cum fide ſolvet, nec à latrociniis abſtinebit ipſe, nec avertet ſuos: & ſi quid jure belli ceperit: vendicabit ſibi, nec militibus diſtribuet: quod quàm eſt ſordidum, & ab integritate, ſplendoreque alienum? Si ſuperbus & iracundus: ſæpè in ſuos crudelis, in alios immanis exiſtet, ac ex amicis inimicos, ex inimicis hoſtes reddet; nemini charus, omnibus inviſus exiſtet: at non modò hoſtium in ſe iram, ſed etiam ſuorum in ſe invi-

diam concitabit. Si ventri penuque deditus: Luxuria luxuque frangetur, vim remittet, nervos incidet militiæ, & mactandum se hosti inertis modo pecoris dabit. Si fidei ac religionis negligens: neminem sibi fidum inveniet: neminem in officio continebit. Ecquis enim perfido servet fidem, & impii legibus præceptisque obtemperet? Ab hujusmodi certè ducibus non magis timere hostis, quàm cavere sibi Resp. debet. Ejusmodi fuit Lacedæmone Lysander: Pisistratus & Alcibiades Athenis: Romæ Marcus Manlius, Marius, Cinna, Carbo, Sylla, Antonius: qui etsi bello Clarissimi Duces, Patriæ tamen pernicioſissimi cives extiterunt. Alii verò qui summi Imperatores & fuerunt & habiti sunt, etsi nihil incommodarint Reipublicæ, famam tamen nominis sui maximè obscurarunt. Quantum Alexandri gloriæ detraxit ebrietas & iracundia? Quantum Annibalis perfidia & immanitas? Quantum Luculli Luxus & deliciæ? Quantum Appii Superbia & impudicitia? Illi autem qui & foris clari militari gloriâ, & domi virtutis laude fuerunt, non modò Remp. servarunt & auxerunt, verum etiam immortalem sibi famam comparârunt: de quibus certè sine quodam desiderii sensu meminisse non possumus. Quis enim Epaminondæ Thebani, Agesilai Lacedæmonii, Themistoclis Athenienſis, Philopœmenis Achæi, Dionis Syracusani, Amilcaris Pœni, Camilli, Curii, Fabricii, Fabii, Scipionum, Pompeji vitam legens, eorumque virtutes ac rectè facta commemorans, non eos diligat, non colat, non requirat, & coràm intueri, alloquique desideret? Tanta quippe vis est virtutis, ut existimem non suis modò eos civibus caros, sed hostibus quoque amabiles extitisse. Parem ego te, imò & similem dum animi tui virtutes doteſque intueor Amplissime Cromwell, iis quos recensui, aliisque, de quibus commemorare non potui, Ducibus esse existimo.

mo. Tot enim in te confluxere, eæque tantæ tamque præclaræ, ut de te ornando contendiſſe, ac cum te ornaſſent, de primatu inter ſe certaſſe viderentur. Ac primùm eas virtutes, quæ ad coërcendos pravos animi impetus motuſque pertinent, inſpiciamus. Nihil minus eſt in noſtrâ poteſtate, quàm hujuſmodi affectiones, quæ non modò invitis, ſed ne opinantibus quidem nobis exiſtunt, noſque perturbant, obruuntque interdum rationem & occupant arbitrium. Iis tu humanæ conditionis vitio non poteras non eſſe obnoxius, nec aliquando non ſuccumbere; ſed ita te plerumque continebas, ut cùm naturæ nihil detraheres multum certè vitio auferres. Illud vigilando & obviam eundo obtinuiſti; ut cum intra te confligeres, indicia pugnæ feras non prodirent: ac vix in te quiſquam perturbati animi ſigna deprehenderet. Ecquis te unquam ſuperbia elatum? Ecquis irâ ardentem? Ecquis cupiditate inflammatum vidit? nec deerant ſæpe homini imperanti, dimicanti, vincenti occaſiones: ſed in iis tamen ita te gerebas, ut nemini magis quàm tibi imperares. Iubendo rationi, pugnando moderationi, vincendo temperantiæ parebas. Qui alios in poteſtate habebas, quòd cum iis moderate ageres, in eorum poteſtate eſſe videbaris. Priùs tibi imperaſti, quàm militi quicquam injunxiſti. Ante iracundiam compreſſiſti, quàm aut errantem emendaſti, aut ſceleratum puniſti. Præparato ac purgato à cupiditatibus animo, libidinem à te & avaritiam removiſti. Ad eas quæ erga alios exercentur virtutes prudentiam Ducem adhibere ſolitus es; Nec modò quid cuique deberetur, ſed quid te deceret, quid aliis congrueret inſpiciebas: nec id tantùm, quod juſtum erat, præſtabas; ſed quod æquum & honeſtum exhibebas. Removere injuriam, vim repellere, fluxam virtutem putabas. Sublevare miſerum, afflictum recreare, egenum ditare, verum

rum ac ſolidum virtutis genus ducebas. Nam vitium fugere exigua laus: magna honeſtatem ſectari, & virtutem augere. Nec ſolùm odio in vitia laudari, ſed amore in virtutes commendari volebas. Equidem à vitiis longiſſimè aberas, ad honeſta proximà accedebas: adeò ut penè in earum ſpatia penetrando ad extrema pervenires, ac niſi huc vitioſa forent, omninò perttranſires. Nam ea erat magnitudo animi, ut vel in virtutibus mediocritatem quodammodo non patereris, ne quid modicum, ſectari viderere. Quare quemadmodum in Circo, ita curriculum conficiebas, ut prope metas accederes, & ſtringeres; eas tamen evitares; ut qui currentem vidiſſet, is noſſet magnanimitatem ad extrema ſuperanda non deeſſe; obeſſe vitium, ne tranſires. In mediis turò, in extremis periculoſe verſabaris, quod velles exhaurire virtutem. Itaque fortitudo tua propè temeraria, liberalitas pene prodiga, integritas propè ſevera: patientia pene duritia, conſtantia prope obſtinatio; temperantia pene faſtidium. Placebant homini generoſo, virtutes in confinio vitiorum poſitæ: ut ea quaſi hoſtes comminus inſectaretur: eaque velut ex propinquo provocaret, ac ex edito virtutis faſtigio inſultaret. Eam es opinionem conſecutus, ut non tàm tu fugere vitia, quam te fugere vitia viderentur; majuſque tibi gloriæ momentum ex ſuperatis vitiis, quàm ex multis hoſtibus accedere. In ſumma militari licentia nihil tibi licuit, niſi quod licitum eſſet. Nihil collibuit, niſi quod honeſtum. Milites, non vi & imperio, ſed exemplo in officio continuiſti. Scriptæ erant in vultu tuo leges militares; aſpectu ipſo tacitæ ferebantur. Feriabantur voces, ubi opera documento erant. Nunquam ſtipendia militibus defuerunt, quòd de tuis tu remitteres ad ea implenda. Quibus nihil deerat, ii in te aliquid deſiderabant. Non eos tantùm moderatos, ſed abſtinentes reddidiſti. Primus religionem

in

in aciem intuliſti, & bellare adverſus vitia & cupiditates in ſuo maximè regno milites docuiſti: ut jam illud in exercitu tuo mirabile eſſe deſinat, quod in Annibalis omnes mirabile fuiſſe prædicant, caruiſſe ſeditionibus. Nam in Punico exercitu duce Annibale, quòd vitia fuerint, ſeditiones etſi non fuerint, eſſe tamen certè potuerunt; in tuo quòd vitia defuerint, diſſenſiones ac tumultus eſſe non potuerunt. Sanè qui ſinguli intra ſe vitiis non diſſidebant, eorum in caſtris non potuit eſſe diſſidium. Is demum Imperator hoſtes ſciet perdere, qui ſuos ſervare ſciat. Nemo Imperator militum, quàm tu amantior. Amabas foris in acie, ut liberos, intus, domi. Invigilabas eorum incommodis, neceſſitates inquirebas, præveniebas preces, antevertebas gemitus; dolere ex tuis quiſquam potuit, queri certè haud potuit. Iacebat fortuito ictu ſaucius miles: deſiliebas equo, accedebas, aderas, & partem doloris in te transferebas. Si deerat culcitra, chlamydem ei tuam ſubſternebas, omni plumâ ob affectum molliorem. Sæpè brachia quod chlamydem alteri dederas offerebas; & acceptum pectori applicabas, ac nobilius inſito ex amore cordis pulſu animabas. Non majore impetu equum in hoſtem ad exitium adhibebas, quàm ad militis ſalutem reducto freno convertebas. Quoties hic pene ex animis ac deficiente ſanguine frigidus, ferventes circa ſe currus tui rotas, ac excuſſas in ſe charitatis ſcintillas ſenſit! Quoties animam agens, & exitum crebro ac interciſo anhelitu quærens, vidit ſe ſpiritu incubantis tui afflari: ut ſi victurus eſſet, partem animæ tibi deberet: Si moriturus, partem animæ tuæ ſecum auferret. In Armorum palæſtrâ Amoris documenta dediſti. In hoſtes ardebas irâ, in tuos charitate flagrabas. In acie manum ad eadem, in caſtris ad vitam erudiebas: Hoſtem neminem, niſi dum tecum, & odium & arma exercebat, judicaſti. Nec tam in

eo vitam auferres, quàm vitium, quod tolleres, inſectabaris. Pugnantem & vinci nolentem urgebas, opprimebas; cadentem & victum ſublevabas, fovebas. Nil tàm tibi inviſum, quàm rapinæ & incendia. Vltra mortem in privatum, ultra deditionem in publica ſævire nefas duxiſti. Dedi volebas oppida, non expugnari; Integra ſervari ac reddi, quàm dirui ac deripi malebas. Triumphalis Imperator, ſed citra ruinam oppidorum, Erecta in Trophæum ſervabas. Hoſpides ex hoſtibus ſæpè reddidiſti. Id tibi propoſitum, ne quis tibi niſi nocens periret: Præſtabat nocentibus parci, quàm per eos innocentes peti. Neminem aut odio privato reum, aut ſuſpicione temeraria ſceleratum feciſti, quò pœnas expeteres; imò innocentiam pluribus affinxiſti, ut ſupplicia conſtituta evaderent. Cum ſummus eſſes veritatis amator, hæc una tibi ſimulatio placuit, quæ pietatem adſtrueret. His virtutibus omnem apud hoſtes invidiam extinxiſti, apud tuos amorem conciliaſti, apud omnes gratiam collegiſti. Quod Pompejus ante ruinam Magnus, Neapoli in morbo graviſſimo communis in ſe expertus eſt amoris argumentum, cùm tota viſa eſt cum eo civitas ægrotare, cum in columi reviviſcere: id tibi certè gratulati ſunt tui, cùm poſt tot victorias periculoſus te morbus appetiit; (ceu monere vellet hominem te eſſe, more triumphali,) cujus cum fama per univerſam Anglicam ditionem emanaſſet, tantus repentè mœror omnium mentes invaſit, ut tecum periclitari viderentur. Ægrotabas tu corpore, illi animis laborabant, ac nobilius malum reddebant: transferebant in animos, quod tu in membris patiebare. Nunquam magis procul à morte quàm vicinus fato: vivebas in omnium votis: nemo calculum Libitinæ adjecit; communi ſuffragio decreta vita eſt tibi, in quo ſita erat ſalus Reipublicæ. Nec tu illâ incolumi perire poteras, nec illa te mortuo

tuo vellet vivere. Apparuit cum ægrotaſti, quàm ex te vita penderet omnium. Feliciùs in morbum incidiſti, quàm ex eo cæteri convaluerunt. Ne occulto quidem voto ſalus tua damnata. Inerat animis religio, ne quis auderet, quod contra Remp. erat, optare. Factum tibi eſt meliùs: liberatus periculo omnes mœrore levaſti: ceu radiis à ſole undiquaque diffuſis lætatur Orbis, ita diſſeminatis de ſalute tuâ rumoribus, exhilerata eſt Anglia. Fervebant gratulationibus urbes, Arces, oppida, caſtella, pagi: Vbique lætitia, plauſus, ludi agitabantur. Summi infimique geſtiebant: cives militeſque juxta tripudiabant, triumphabant. Pro ſe quiſque ſuperis gratias agebat, ceu illa recuperata valetudo ad ſe pertineret. Nec poterat quiſquam lætitiam arguere, cujus manifeſta in vultibus ſigna eminebant. Id cum per ſe magnum eſſet, majus tamen quiddam portendere videbatur. Eum nempe virum, cujus & ægritudo & ſalus tantopere commoveret Remp. privati civis modum fortunamque egreſſum, ſummam rerum adminiſtraturum: ſed ita tamen ut ex ſententia & voluntate Populi ſuſciperet ac gereret, ut non ſibi uſurpare, ſed civibus reddere imperium videretur. Quod tunc vota optabant, ac mentes præſagiebant, ſuperi tibi, Imperator Cromwell, re præſtiterunt. Non tu Marii inſtar, & Syllæ, Cæſariſve, occupaſti pervertiſtique Rempublicam; Nec aſſertam ac liberatam uti Brutus & Caſſius deſeruiſti: nec ſpecie tuendæ conſervandæque, quemadmodum Auguſtus & Tiberius, ad te ſummam rerum tranſtuliſti: ſed annuentibus ſuperis, vocantibus civibus, conſenſu maximo totius populi ad culmen militaris Imperii evectus aſcendiſti, non raptim, non violenter, non temere: ſed lente & paulatim per gradus & munerum & virtutum, ut ſervares non perderes, ut augeres non deprimeres, ut amplificares non imminueres. Pater patriæ ad ejus

ſalutem gloriamque natus ac inſtitutus. Hoc animo ad eum acceſſiſti, hoc illam ſuſcepiſti, hoc hactenus adminiſtraſti, ac deinceps geres adminiſtrabiſque. Non tu ambitione fortunam corrumpes: non cupiditate virtutem pervertes: non impotentiâ juſtitiam opprimes: non invidiâ amorem civium extingues: non infamia gloriam obſcurabis. Nemo ſibi à Te unquam niſi hoſtis timuit: nihil à Te cives quos amaſti, & à quibus amaris & coleris, timere potuerunt. Nec metu eos tantùm ſed & ſuſpicione liberaſti, cum Parlamentum ex graviſſimis ac potentiſſimis civibus conſtans, quòd minus imperabat populariter, & ad ſuum arbitrium revocabat ſummam Reipublicæ, diſſolviſti. Nec ejus Magiſtratus, aut antiquitatis, aut potentiæ, aut opum aut felicitatis rationem, ſed juris & moderationis & fidei habere voluiſti. Nec in eo quantum poſſet, quid valeret. quæ patraſſet; ſed an ea potentia, illæ opes, illa geſta, è Republica eſſent, ſpectaſti. Deprehendiſti quædam perpetuæ dominationis indicia, quòd vellent ſemel acceptum imperium retinere, privatis magis ſtudiis quàm communi ſenſu populi adminiſtrationem rerum publicarum gerere: Obligatam Patriæ fidem de eligendis ex omnium Provinciarum numero Senatoribus minimè præſtitiſſe: nec deinceps præſtitutos prævidiſti: plures in iis Cæſari qui retinuit, quàm Syllæ qui depoſuit dictaturam, ſimiles reperiſti, amore virtutis Patriæque incenſus advolaſti; &, quod res aleæ & periculi plena erat, arma juri adjunxiſti, & Imperatoria authoritate ingreſſus Curiam expoſitis mutationis cauſis, Senatores domum abire juſſiſti, & Parlamentum ingens, frequens, copioſum, grave momento ſuſtuliſti. Non ego hic aut magnanimitatem, aut prudentiam, aut celeritatem, aut felicitatem, ſed jus, fidem, ſtudium libertatis conſidero; atque eò mentem refero, quo me ducit Reipublicæ amor & patriæ cha-

charitas. Nil timendum eſt ab eo cive, qui ſe Iuris vindicem, Fidei aſſertorem, ambitionis everſorem, impotentiæ expulſorem præbuit. Ab omni ſuſpicione liberandus is, qui tunc cum alios exegit, ea vitia voluit extirpare, quæ in detrimentum Reipublicæ vergebant. Sanè illis omninò carere oportuit, qui tam acriter ea eſt inſectatus: nec deinceps obnoxius eſſe poterit, cùm in aliis vindicarit. Cujus arma innoxia & vis moderata, ejus non poterit eſſe metuendum Imperium. Innocentius in pace aget qui militiam ſine culpa tranſegit. Qui Paludatus ab injuriâ abſtinuit, is Togatus Inſtitiam colet: Qui militarem licentiam coërcuit, is civilem moderationem ſervabit. Qui de hoſtibus benè meritus fuit, is de Patria malè mereri non poterit. In te uno Cromwell Imperator Ampliſſime, opes, fortunæ, ſpes Angliæ ſitæ ſunt: quo nihil majus unquam aut optare, aut cogitare auſus eſt quiſquam. In te omnium civium ora oculique conjecti: ſumma eſt de Te ubique expectatio. Non Anglia modo, ſed Europa etiam tota, imo & univerſus orbis cogitationes ac ſuſpiciones ad te ſuas convertit. Vnum te omnes intuentur & obſervant. Tibi poſteritas omnis incumbit. Non modo geſta ſpectabunt tua, ſed eorum quoque rationem exigent. Satisfacias oportet non tuæ tantùm conſcientiæ, ſed totius orbis expectationi, ac ſtudio. Cujus Ideæ exemplum te probavi, ejus Heroïcas virtutes repræſenta. Age magnitudine animi Alexandrum; militari peritiâ Pyrrhum: virtute Scipionem: authoritate Papyrium: ardore Marcellum: prudentia Fabium: ſolertiâ Annibalem: conſtantiâ Æmilianum: felicitate Cæſarem. Erga Cives Camillum, Pompejum, Ageſilaum, Agidem, Epaminondam te gere. Erga hoſtes Braſidam, Lyſandrum, Rutilianum, Metellum, Gylippum: Luctatium exhibe. Fide Regulum, abſtinentiâ Fabricium, mo-

deratione Curium; integritate Catonem, patientia Themistoclem, gravitate Cimonem præsta. Vtar compendio. Te ipsum intuere. Vnus tu ad omnes exprimendas virtutes satis. Talem te gere, qualem hactenus gessisti. Is enim es qui nisi à Te deiciscas, malus esse non possis; si te imitere, non nisi Optimus esse possis.

FINIS.